

# EPISTULA LEONINA

## LXVII

PERIODICUM HEBDOMADALE  
LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR SEMEL IN SEPTIMANĀ  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

Index of leonina <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

**MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.**

**ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.**

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**SEXAGESIMAM SEPTIMAM (67) !**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam sexagesimam septimam. Cum damno quodam computatrali tum aliis laboribus obrutus non potui, quin interromperem seriem Epistularum hebdomadalem. Sed quod est dilatatum, non est sublatum.*

*Duobus diebus ante Vigiliam Domini nondum tibi praebeo argumenta Natalicia Latinê tractata (quae spero mox secutura esse) – tamen plurimum tibi commendo ea quae his litteris tractavi: Agitur de verbis illis famosissimis, quae Vespasianus imperator dicitur dixisse: »(Pecunia) non olet«. Reverâ locos Suetonii et Cassii Dionis infra allatos si perlêgeris, intelleges illa verba ipsa non tradita esse, sed illorum sensum; ex quo minus apparet Vespasiani honestas quam frigida quaedam lucricupido. Procul dubio haec verba Vespasiano adscripta aetate nostrâ non aliter quam antiquâ placent multis, e.g. venditoribus armorum aut drogopolis aut argentariis, qui illis praebent computos clandestinos ad pecuniam sordidam occultandam sive – ut aiunt – lavandam...*

*At in hac Epistulâ Leoninâ 67 nostrâ interest agere de aliâ quaestione: quare imperator postulavit, ut penderetur vectigal urinae? Lege et mirare: Urina Romanis erat res pretiosa: qua usi fullones vestimenta purgabant, viri operi tam foetido dediti, ut saepe irriderentur, sed interdum divites facti... Novistine ipsius Marci Tulli Ciceronis patrem fuisse fullonem? Sed urinâ quoque utebantur coriarii et infectores sive tinctorum. Miraris? Tolle lege...*

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere! Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
d. Dominico, 22. m.Dec. a.2013**



## NON OLET

### VESPASIANUS

(Imperator 69-79 p.Chr.n.)

cfr Suetonius, *Vespasianus* 23,3. *Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinae vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans num odore offenderetur; et illo negante: "Atqui," inquit, "e lotio est."*

cfr Cassius Dio 66,14 *Καὶ πρὸς τὸν Τίτον ἀγανακτοῦντα τῷ τοῦ οὔρου τέλει, ὁ καὶ αὐτὸ μετὰ τῶν ἄλλων κατεδείχθη, εἶπε, λαβὼν ἐξ αὐτοῦ χρυσοῦς πεπορισμένους καὶ δείξας αὐτῷ, "ἰδοῦ, τέκνον, εἴ τι ὄζουσιν".*

[http://de.wikipedia.org/wiki/Pecunia\\_non\\_olet](http://de.wikipedia.org/wiki/Pecunia_non_olet)

**Pecunia non olet** est locutio Latina.

Haec locutio originem repetit a Vespasiano imperatore Romano. Româ in urbe antiquâ urina sive lotium, praesertim “putrefacta”, ex qua oritur ammoniacum alcalicum, adhibebatur ad coria fabricanda et lavandaria purganda. Itaque Romae in viis frequentatis latrinae collocabantur, quae erant formâ amphorarum, ut colligeretur urina, qua egebant coriarii et lotores sive fullones.

Ut compleret aeraria publica vacua, Vespasianus imperator postulavit, ut vectigal speciale penderetur pro foricis, i.e. latrinis publicis. Suetonius tradit Vespasianum coram Tito filio rationem huius vectigalis reddidisse eo, quod naribus illius pecuniam primae pensionis subducens sciscitasset, num Titus odore offenderetur. Cum filius negasset, Vespasianum dixisse: *Atqui e lotio est.*<sup>[1][2]</sup> Temporis processu ex his verbis facta est locutio *Pecunia non olet.*<sup>[3]</sup>

Haec locutio adhuc adhibetur, ut ratio reddatur possessio aut comparatio pecuniae, quae exorta est e fontibus impuris. Foricae Parisienses hodie quoque appellantur *Vespasiennes*. Etiam in Italiâ foricae appellantur *Vespasiani*.

In Germaniâ a.2002 Hildeshemiâ in urbe scandalon factum est, quod appellabatur „[Pecunia-non-olet-Affäre](#)“.

A.2005 negotiatio [Goldsieber](#) publicavit ludum socialem, cui nomen est „Pecunia non olet“; at hîc in ludo per errorem confunduntur amphorae, quibus urina colligebatur, cum lavatrinis, quae aquâ eluebantur ideoque non adhibebantur ad urinam colligendam.

## Fontes

- Suetonius, Vitae Caesarum: Vespasianus.

## Notulae

1. [Hochspringen](#) ↑ Sueton, Vespasian [23](#)
2. [Hochspringen](#) ↑ Übersetzung [Adolf Stahr](#) 1857 [books.google.de S. 454](#)
3. [Hochspringen](#) ↑ [Pecunia non olet – Hintergrund](#) auf Spielziel.com



## HISTORIA OECONOMIAE: lavandaria lauta esse sorde

Eheu alicui quidem istud opus erat faciendum! Operibus decenniorum saeculorumque transactorum miris alienisque considerandis apparet, quomodo oeconomia et societas processu temporis mutatae sint. Auctrix *Michaela Wieser* et illustratrix *Irmela Schautz* describunt professiones hodiè emortuas – velut fullonem, i.e. lotorem urinâ utentem.



Quomodo urinâ lautum sit: Fullones pannos tractant. Pinxit *Irmela Schautz*.

**Fullones:** fabri, qui ipsi fabricabant lomentum suum

**Indicium:** crura vulnerata

**Aetas operandi:** Imperium Romanum; postea raro et singillatim operati sunt, plerumque ad lanam tractandam, in Angliâ usque ad annum 1935.

Macrobius, Romanus philosophus et grammaticus (385-430 p.Chr.n.), commemorat quendam narratorem aetatis liberae rei publicae Romanae (150 a.Chr.n.), qui indignatus est de senatoribus vinum potantibus: Illos saepe impudenter e curiâ exiisse, ut foris in *angiportu* mingerent in *amphoras* sive *vasa curta*. Archaeologi bene noverunt has amphoras urinales. Qui ex effossionibus sciunt talia vasa in urbibus Romanis in locis com meatu frequentatissimis statuta esse, ut adhiberentur ad urinam recipiendam. Quae vacuefiebant a fullonibus, i.e. purgatoribus urinalibus, qui urinam adhiberent ad togas Romanas purgandas. Qui scit

consuetudines mingendi Romanas, ei hanc rem consideranti licet unâ cum Macrobio nares subducere hac causâ quae sequitur: Romani antiqui sciebant urinam potatorum vini – propter portionem alcalinam minorem – multo minus aptam esse ad purgandum quam urinam camelorum. Ergo senatores non solum sessiones curiales perturbaverunt, sed etiam reddiderunt crudum ammoniacum inutile.

### **Pecuniam non olere**

Fullones Romani non fuerunt homines omnium primi, qui scirent aquam humanam habere vim purgatricem; iam in Aegypto antiquâ eadem substantia adhibita erat ad lanam tractandam. Fullones, qui nihil aliud faciebant quam homines in hodiernâ officinâ lavatoriâ operantes imprimis id studebant, ut colligerent quam plurimum urinae. Itaque amphoras suas urinales in urbe distribuebant et cives invitabant, ut in illas mingerent. Ut cives urinam suam vasis melius inicere possent, fullones amphoras decollabant. Etiam possessores foricarum, i.e. latrinarum publicarum, rogabantur, ut traderent pretiosam substantiam iisdem contentam. Tritum illud proverbium, quo dicitur pecunia non olere, exortum est ex re, quam Suetonius narrat de Vespasiano imperatore:

***"Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinae vectigal commentus esset, pecuniam ex primâ pensione admovit ad nares, sciscitans num odore offenderetur; et illo negante: "Atqui," inquit, "e lotio est."***

Praecipuê Pompeiis archaeologi effodientes invenerunt parietinas officinarum a fullonibus conditarum, quae partim mediâ in urbe sitae erant. In urbibus Imperii Romani magis ad meridiem versus sitis fullones videntur potius incoluisse regiones exteriores, prope moenia sitas. Verisimile est hoc effectum esse fragrantiam lomenti meri humani, quod, cum semper, tum praecipuê aëris calore aliquatenus aliter fragrabat quam sapo, qui hodie est in usu communi.

Praeter purgationem fullones alio munere fungebantur: Qui lanas crudas tractabant mixturâ urinae, ut pinguamen lanae mutarent. Quae methodus *Oxfordshire* in oppido Angliae paulo ante adhuc adhibebatur ad lanea opertoria subtilia *Witneyana* fabricanda, quae veneunt in tabernis lautissimis. Etiam in Silesiâ Austriacâ hoc genus lanae tractandae in usu erat usque ad iniens saeculum proximum praeteritum. Ibi – similiter ac Româ in urbe antiquâ urina humana colligebatur vasis, quae plerumque statuebantur ante cauponas. Aliter urina adhibebatur in insulâ Cubâ: Ibi folia tabaci macerabantur urinâ mulierum, ut fierent sapidiora.

Praeterea Romani, ut aliae quoque gentes, urinâ utebantur ad pannos vestesque tingendas sive colorandas. In Indiâ remotissimâ dicitur urina vaccarum, quae degluttivissent folia plantae mangiferae, adhibita esse

ad fabricandum Indicum pigmentum flavum magnificentum. In Germaniâ autem ex nono saeculo omne genus urinae adhibebatur ad pigmentum caeruleum vitri fabricandum. Medio aevo exeunte adhuc tempore ieiunii infectores ad fabricanda opertoria altarium caerulea sive violacea et vestimenta sacerdotum egebant magnis copiis huius pigmenti; itaque operarii admonebantur, ut in fine septimanae multum cervesiae biberent, ne die Lunae parum traderent urinae. Locutio theodisca, quae est "*Blau machen*" („caeruleum facere“), inde exorta est, quod pro urinâ traditâ interdum concedebatur dies vel semidies otiosus.

**Novâ autem aetate ammoniacum mirâ ratione comparatum esse.**

Magistratûs Parisienses purgatoribus mandaverant, ut sordes viarum tollerent, sed nonnullis annis post iidem magistratûs faecalia humana emerunt a negotiatione quadam: Nam nunc urgenter quaerebatur materia cruda ammoniaci fabricandi, quod a chemistis cupiebatur. Florentiâ in urbe inquilinis insularum non licebat ûti latrinâ nisi propriâ, quia possessores insularum urinam in illâ receptam magni vendebant.

**Lomenta confecta esse ex urinâ, herbâ saponariâ, sale alcalino, terrâ argillosâ**

Sed redeamus ad fullones. Picturis Pompeianis aliquatenus dilucidê apparet, quomodo fullones operati sint. Primo vestes sordidae in vasibus macerabantur, quod pro quantitate sordium factum est per tres maximum dies. Lomentum autem erat ex urinâ, herbâ saponariâ, sale alcalino, terrâ argillosâ commixtum. Vestes cum essent maceratae, nudis pedibus calcabantur, quod saepe a pueris puellisve factum esse verisimile est. Hac ratione vestes cogendi factum est, ut sordes facilius e fibris solverentur. Deinde vestes subtiliter eluebantur et perpellebantur, ut tela refirmaretur, denique e contis ligneis suspensa siccabantur. Exstitit etiam lex Romana, qua fullonibus concederetur ius vestes in viis siccandi. Postquam siccatae sunt, vestes tractabantur carduo, ut tollerentur loci asperi. Deinde vestes tendebantur trans corbem quandam, sub qua sulphur comburebatur, ut candidae redderentur.





**Ecce Pompeiana pictura parietalis. Quae in officina fullonica VI 8,20.21.2 inventa nunc inest Museo Nationali Neapolitano.**

Ut colores, qui expalluerant, resplenderent, argilla specialiter commixta locis coloratis interebatur. Vestes senatorum, quae oportebat essent candidissimae, aliâ mixturâ tractabantur. Ultimo gradu operandi vestes levigabantur aut premebantur: Toga oportebat aptê decorêque plicaretur. Praeterea textilia levigata illo non aliter ac hîc tempore aspectum praebebant puriorem. Fullo autem, si vestes redderet falso tractatas aut afflictas, solebat puniri.

Mos Romanorum erat dono dare materiam ad togas conficiendas aptam. Toga pluries quam ter vel quater a fullone lauta non iam aptum erat donum. Elagabalus imperator (= Varius Avitus Bassianus = Marcus Aurelius Antoninus 204-222 p.Chr.n.) opinatus est vestes pluries quam



semel lautus non iam aptus esse nisi ad mendicos vestiendos. At îdem ipse mortuus est in latrinâ.

### **Ammoniacum fullonibus aliquatenus nocuisse**

Habitus purus a Romanis antiquis magni fiebat. Romanus memoratu dignus appellabatur «lautus». Togis magistratum candidis dicebantur reddi mores eorum puri. Fullones autem, qui vestes illorum purgabant, non honorabantur, sed, e contrario, illudebantur. Innumeris versibus irrisoriis agitur de collegio fullonum; sed quidam investigator rerum antiquarum adnotavit Romanos nobiles illuisse omnem virum manibus operantem. Cicero a Quinto Fufio Caleno a.43 a.Chr.n. in senatu dictus \* filius esse fullonis ideoque ita tractare se superiores (τοὺς κρείσσονας αὐτοῦ) ut fullo vestes: calcare atque abluere (καὶ πατεῖ καὶ πλύνει).

Alio loco Firmicus Maternus astrologus (4. saec. p.Chr.n.) indicat genera artificum, qui cito obnoxii fiant vitiis. Praeter albatores, lanarios, pistores, coquos ibi fullones quoque inveniuntur.

Valetudo autem fullonum ammoniacum tractantium aliquatenus affligebatur. Contendit quidem Plinius maior urinâ sanari podagram ideoque vix ullum fullonem hîc morbo temptari; hoc licet conveniat, quia reapse urina dicitur habere vim antisepticam \*\*. At Plinius non adnotat fullones morbis omnino aliis, velut cruribus inflammatis, qui semper ammoniaco exponebantur, aut pulmonibus acri odore sulphuris afflictis \*\*\*.

*Hic textus excerptus est e libro Michaelae Vieser, c.t. est "Von Kaffeeriechern, Abtrittanbietern und Fischbeinreissern", quem lineamentis instruxit Irmela Schautz; qui liber editus est in domo editoria C. Bertelsmann. Quem textum in Latinum convertit notulisque instruxit **NICOLAUS GROSS LEO LATINUS.***

\* CASSIUS DIO Historiae Romanae 46,4 διὰ μὲν δὴ ταῦτα φυλάττεσθε τὸν ἄνθρωπον. γόης γάρ ἐστι καὶ μάγος, καὶ ἐκ μὲν τῶν κακῶν τῶν ἀλλοτριῶν καὶ πλουτεῖ καὶ αὔξει, συκοφαντῶν ἔλκων σπαράττων τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας ὥσπερ οἱ κύνες, ἐν δὲ δὴ τῇ κοινῇ ὁμονοίᾳ ἀπορεῖ καὶ φθίνει: οὔτε γὰρ ἡ φιλία οὔθ' ἡ εὐνοία ἡμῶν ἢ πρὸς ἀλλήλους τοιοῦτον δύναται τρέφειν ῥήτορα. [2] ἐπεὶ πόθεν ἄλλοθεν πεπλουτηκέναι αὐτὸν οἶσθε, πόθεν μέγαν γεγονέναι; οὐ γὰρ που καὶ ὁ πατήρ αὐτῷ ὁ <sup>1</sup> κναφεύς, ὁ τὰς τε σταφυλὰς καὶ [p. 8] τὰς ἐλαίας ἀεὶ ποτε ἐργολαβῶν, ἢ γένος ἢ πλοῦτον κατέλιπεν, ἄνθρωπος ἀγαπητῶς ἐκ τε τούτων [3] καὶ ἐκ τῶν πλυνῶν διατρεφόμενος, καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν καὶ νύκτα τῶν αἰσχίστων ἀναπιμπλάμενος. ἐν οἷς αὐτὸς τραφεῖς οὐκ ἀπεικότως τοὺς κρείσσονας αὐτοῦ καὶ πατεῖ καὶ πλύνει, λοιδορίας τισὶν ἐξ ἐργαστηρίων καὶ τριόδων ἐπιτετηδευμέναις χρώμενος.

\*\* Nescio quid sentiat auctrix his verbis: Quia podagra non est morbus bacteriis effecta (sed ureâ in sanguine abundantia), non prodest antiseptis ad hunc morbum evitandum.

\*\*\* Fusê refert de morbis fullonum Bernardinus Ramazzini, medicus Patavinus illustris, in opere, quod inscribitur: „De morbis artificum diatriba“ (Patavii 1713, in: Opera omnia medica & physica. Genevae 1716): caput XIV. De morbis fullonum. p.522: "Fullones igitur ac pannifices inter graves hosce odores urinae foetidissimae ac olei in calido conclavi degentes, ac interdum seminudi, omnes ferê cachectici sunt, decolores, anhelosi, tussiculosi, et nauseabundi."



# ***Recitator***

Fabula romanica

quam theodiscê scripsit

**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**



Editio prima

in domo editoriâ, quae appellatur

**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ

a. 2012

**Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completæ adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistolam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM) Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !**

## CINEMA LATINUM: DE VITA IN OPPIDO ROMANO ACTA

EXPERIMENTUM ROMANUM [http://www.planet-schule.de/sf/php/02\\_sen01.php?reihe=1185](http://www.planet-schule.de/sf/php/02_sen01.php?reihe=1185)

Anno proximo praeterito a statione televisoriâ, quae appellatur “SWR Fernsehen”, emissa sunt octo cinemata ad vitam Romanorum spectantia. Titulus huius seriei cinematum est “Experimentum Romanum”. In eâdem refertur de his rebus, quae sequuntur:

De religione Romanâ, De mercaturâ Romanâ, De gladiatoribus, De vitâ in oppido Romano, De aedificiis Romanis, De cibo Romanorum, De armis et militibus Romanis, De defensione imperii Romani.

Cum haec cinemata rebus tractandis imaginibusque monstrandis valdê apta sint ad animum discipulorum Latinitatis historiaeque antiquae refocillandum, tum praecipuê laude digna esse videntur, quod sint documenta Latinitatis vivae: pleraeque enim sententiae textuum verbis sunt compositae Latinis! Hae sententiae Latinae *Professore Doctore Petro Kuhlmann* moderante confectae sunt a nonnullis alumnis universitatis Gottingensis.

Cum valdê laudemus haec opuscula Latinitatis cinematographicae ut vera incitamenta institutionis scholaris, tamen liceat afferre duo argumenta critica:

1) Auctores Latini affirmant se nolle ûti classico pronuntiatu restituto, quia putent hunc pronuntiatum discipulis Germanis esse nimis alienum<sup>1</sup>. Itaque locutor cinematis verba Latina non pronuntiat Latinê, sed sonis merê theodiscis.

Hanc sententiam, ut verum confiteamur, strictê reprobamus. Nam exstat una vera Latinitas – i.e. Latinitas non theodiscê, sed Latinê pronuntianda. Oportet, quantum possumus, barbariam evitemus et assequamur normam optabilem. Haec norma est pronuntiatu restitutus. Itaque in his cinematis, quae sunt rara cimelia Latinitatis vivae, oportet exemplo demonstretur pronuntiatu quam optimus. Scilicet neque discipuli neque magistri hunc pronuntiatum imitari posse perfectê (sub

---

<sup>1</sup> De pronuntiatu textus Latini recitati: <http://www.planet-schule.de/wissenspool/das-roemer-experiment/inhalt/unterricht-latein/zur-aussprache-des-lateinischen-kommentar-textes.html>

„...Die Kommentare werden nicht im „pronuntiatu restitutus“, der von Linguisten rekonstruierten Phonetik des klassischen Lateins, gesprochen. Für eine größtmögliche Verständlichkeit sollte sich die Phonetik von den Hör- und Lesegewohnheiten der Schüler nicht allzu weit entfernen. Es ist davon auszugehen, dass im Lateinunterricht in Deutschland der pronuntiatu restitutus bislang eher die Ausnahme darstellt“.



sole nihil est perfectum), sed oportet studeamus exempla praeberere quam optima.

En vide, quae peculiaritates sermonis Latini phoneticae a Germanis Latinê loquentibus strictê observandae sint:

- **Vocales breves et longae inter se distinguendae sunt.**
- **Consonantes breves et longae inter se distinguendae sunt.**
- **Regula trium syllabarum observanda est.**
- **Consonantes aspiratae et non-aspiratae inter se distinguendae sunt.**
- **Littera "c" pronuntianda est per [k].**
- **"ae" et "oe" sunt diphthongi, non monophthongi.**
- **Littera "r" pronuntianda est per r apicale, i.e. apice linguae [r], non uvulâ [R].**

## 2) De textu Latino conscripto

li, qui textus cinematum scripserunt, postulant, ut – propter levitatem talium verborum celeriter pronuntiatorum captumque discipulorum minorem - sententiarum compositio sit simplex et clara<sup>2</sup>.

Quis est, quin hanc sententiam comprobet? Ipse Cicero dicit perspicuitatem esse summam virtutem orationis. Sed quod attinet ad simplicitatem, sequamur Horatium: Sunt certi denique fines. Nonnullae sententiae horum cinematum omni hypotaxi evitatâ sunt tam simplices, ut animus legentis quadam monotoniâ magis fatigetur quam refocilletur. E contrario adnotationes linguâ theodiscâ factae et syntaxi et argumento multo plus valent – iis insunt explicationes graviore. At hōc modo discipuli minus allici nobis videntur a Latinitate vivâ quam repelli. Nam haud scio an opinentur investigationes historicas et archaeologicas intricatiores esse, quam ut ipsâ linguâ Latinâ tractari possint. At nos Latinitatis vivae defensores oportet demonstramus Latinitatem esse aptam ad omnes res explicandas. Caveamus ne Latinitas nostra fiat nimis egena! Multi timent, ne discipuli a Latinitate absterreantur nimiâ difficultate - equidem timeo, ne eos magis quam difficultatis taedeat egestatis. Alumni nostri, nisi – quod Deus avertat! – laborant horribili illo morbo Spitzeriano, quae appellatur *dementia digitalis* - non stultiores sunt quam discipuli priorum aetatum. Audeamus discipulis nostris quaestiones proponere sat difficiles!

<sup>2</sup> <http://www.planet-schule.de/wissenspool/das-roemer-experiment/inhalt/unterricht-latein/zur-sprachlichen-gestaltung-der-texte.html> „Die Sendungen orientieren sich an der Sprachkompetenz von Schülerinnen und Schüler gegen Ende des 2. – oder Anfang des 3. Lernjahrs. Die Flüchtigkeit des gesprochenen Wortes in einem Filmkommentar und die angenommene Sprachkompetenz der Schüler verlangen einen einfachen und klaren Satzaufbau“.

Sed sufficient haec adnotationes criticae - ne aemuler Zoilum et Orbilius et Sestium Beckmesserum. Specta, cara Lectrix, care Lector, cinema Latinum anno bis millesimo duodecimo feliciter confectum et audi eius verba Latina! Verba litteris italicis scripta, quae originaliter theodisce fiunt, ego ipse in Latinum converti.

[http://www.planet-schule.de/sf/php/02\\_sen01.php?sendung=8838](http://www.planet-schule.de/sf/php/02_sen01.php?sendung=8838)

[http://www.planet-schule.de/fileadmin/dam\\_media/swr/das\\_roemer-experiment/pdfdoc/roemer04\\_filmskript\\_lat-dt.pdf](http://www.planet-schule.de/fileadmin/dam_media/swr/das_roemer-experiment/pdfdoc/roemer04_filmskript_lat-dt.pdf)

0:02

Primum Roma erat parvus vicus apud Tiberim. Post Roma maxima urbs in antiquo orbe terrarum fuit. Romani paene totum orbem terrarum expugnant Etiam nostra terra – Germania – provincia Romana est. Etiam hodie sunt multae reliquiae Romanorum in Germania. Archaeologi et historici explorant has reliquias Romanorum...

00.11

Nox est in Colonia Agrippina. Paene cuncti homines dormiunt. Sed nonnulli homines laborare debent.

00.26

Audimus currus in viis. Sonitus curruum magnus et molestus est. Nox obscura est, tantum paucae faces lucem dant.

00.45

Hic vir colorator<sup>3</sup> est. Colorator et eius socius interdum nocte laborare malunt.

00.58

Sed quid facere volunt de urina?

01.07

Hic in oppido homines iam mane surgunt. Trans flumen Rhenum Germani habitant. Primum Colonia Agrippina erat quasi castra Romana. Post Christum natum demum oppidum cum multis mercatoribus fit.

01.26

Hic videmus vestigia negotii et mercatorum: Nam videmus multos currus in viis.

---

<sup>3</sup> Verbum, q.e. colorator, uno tantum loco invenio: CIL 6,3953. Nomina horum fabrorum multo frequentiora sunt infector, intinctor, tinctor (graece ó βαφεύς, G.sg. βαφέως, ducitur a verbo temporali, q.e. βάπτω, ting(u)ō).

01.42

Colorator noster opus suum perficit. Colorator habitat et laborat in regione fabrorum. Hic longas domos invenimus. In fronte domorum sunt porticūs; etiam in aliis urbibus Romanis domūs habent eas porticūs.

01.58

Aspicimus forum hodiernum. Sed aedificia antiqua non iam videmus: nam ea aedificia deleta sunt; et supra nunc facta sunt aedificia nova. Homines laborantes hic terram effodiunt.

*Markus Trier* museo Romano-Germanico praestat. Fortasse nunc aedificia antiqua invenire possumus.

02.26

*verba Marci Trier originaliter theodisca:*

*Aedificatores nos adeunt, explanant, quid velint aliquo loco exstruant, e.g., num imponant stabulum autocinetorum profundum, num imponant hypogea duorum tabulatorum, ergo describunt, quanta profunditate et quanta area humum invasuri sint. Nos autem deinde aedificatores conveniunt, iisdem exponunt, in qua regione archaeologica versetur, e.g. in officina figulorum aetatis Romanae aut in via Romana aut in coemeterio Romano et indicamus, quamdiu ante aedificationem facturi simus effossiones archaeologicas.*

03.01

Hic homines invenerunt antiquas domus fabrorum. Archaeologi sex menses explorare possunt. Tum aedificium novum aedificatur.

03.15

Haec lucerna est. Archaeologi hoc in libellos scribunt. Praeterea archaeologi formam aedificii depingunt et photographias faciunt.

03.27

Hic duae viae coniunctae sunt. Antiquae porticūs nobis demonstrant cursum earum viarum.

03.37

*Sub porticibus fieri poterat, ut ambularetur aut negotia tractarentur. Et post porticus stabant domus Romanae, in quibus erant tabernae, sed etiam officinae.*



03.51

Nunc videmus domum coloratoris. Magnae ianuae homines invitant. Ii homines aliquid emere cupiunt. Colorator ipse habitat supra tabernam suam.

04.05

Hic colorator urinam nocturnam colligit. Cur id facit? Institutum Scientificum Coloniae Agrippinae id in experimento explorat.

04.18

Ecce exploratores folia herbae in aqua ponunt et folia secant. Ea herba colorem caeruleum dat.

04.33

Sed domina *Sicken* et studentes diligenter laborare debent: Nam difficile est colorem ex foliis extrahere.

04.43

Folia colorem retinent.

Nunc urina necessaria est, quia ammoniacum colorem in aqua solvit. Nam urina ammoniacum continet.

05.03

verba originaliter theodisce dicta: *aliquantulum calcis et potassii (kalii carbonici sive carbonatis kalii) .....*

05.15

Tempus necessarium est: post quattuordecim dies experimentum finitum est.

05.26

Odor malus Romanis non semper molestus erat. Latrina privata tantum in paucis domibus est. At multae latrinae publicae sunt. Eo homines eunt et negotia varia agunt.

05.43

In latrina publica nonnulli homines ludunt, nonnulli homines ibi quiescunt.

05.53

Nonnulli homines in latrina loquuntur cum aliis hominibus et negotia faciunt.

06.02

Sed quomodo Romani se lavant? In cunctis latrinis sunt peniculi. Aqua ex cloaca peniculos lavat. tum cum peniculis...

06.19

Multi homines simul in latrina publica sunt. Hic in oppido *Rottenburg* triginta homines sedere possunt in una latrina.

06.28

Sub sedibus est cloaca. Haec cloaca omnia abluit.

06.40

Romani munditiam etiam in provincias tulerunt. Etiam alieni homines illa commoda amabant.

06.54

Multae urbes et oppida habebant magnas thermas. Haec oppida sunt: Augusta Treverorum, hodie *Trier*, et Colonia Agrippina, hodie *Köln*, et Colonia Ulpia Traiana, hodie *Xanten*, et Aquae, hodie *Baden-Baden*. Cuncti homines in thermas publicas ire poterant.

07.17

Malus odor illius herbae etiam hodie ingratus et molestus est.

07.25 Verba originaliter theodisca

*Ita, fere 45 gradus Celsianae.*

*Si ita, necesse est temperaturam aliquantulo augere. 50 – 55 gradus haud sint inutiles. Ergo necesse est, ut exspectemus per nonnullas minutas.*

07.37

Domina *Sicken* lanam colorare vult.

07.43

Sed colorator alias res colorat.

07.51

Per triginta minutas domina *Sicken* lanam coactam in mixtura coquit.

07.58

Lana coacta nondum caerulea est.

08.03

Exspectare debemus.

08.09

Lana non statim caerulea fit. Lente tantum oxygenium colorem caeruleum efficit.

08.28

Colorator cum lana colorata proficiscitur. Plurimae viae recto angulo coniunctae sunt; itaque colorator iter suum per oppidum facile invenit: Nam inter vias sunt quadrata, quae vocamus "insulas". Hae insulae octoginta metra longae et latae sunt.

Res in zona peditum Coloniensi facta

Verba a *Marco Trier* theodiscê dicta

08.50

*Stamus hic in ea platea, ubi viae Coloniae Agrippinae maximi momenti una cum altera coniungebatur, i.e. Decumanus Maximus et Cardo Maximus. Hoc ipso loco fuit platea, longitudine centum sexaginta metrorum, latitudine ducentorum, platea congregationum, in qua etiam mercatus et aliae res huiusmodi factae esse videntur et versus partem terrestrem, i.e. occidentalem platea aedificio ingenti centum triginta metra lata, quod hic post me videri potest - erat finita.*

Verba *Marci Trier* originaliter theodisca

09.30

*Haec erat urbs multorum cultuum civilium. Hic homines erant, qui ex omnibus imperii Romani partibus confluerant, qui erant cutis coloribus perquam diversis et tamen magna ex parte pacifice inter se conviventes, si agitur de aetatibus pacis Romanae...*

09.38

Nunc meliorem partem oppidi videmus: Divites mercatores in domibus habitant. In his domibus sunt atrium et peristylum cum horto.

09.48

Mercator pannorum servos possidet. Servi erant res et quasi instrumenta. Servi domino suo parere debent.

10.10

Mercator colores diligenter aspicit. Si colores non perfecti sunt, colorator pecuniam amittit.



10.22

In tablino mercator habitat. Hic filia mercatoris grammaticam cum magistro discit. Magister servus Graecus est.

10.41

Schola res privata est. Parentes magistris pecuniam dant.

10.48

Primum liberi in via aut in foro discunt. Postea divites parentes mittunt liberos suos in scholas privatas.

11.02

Ancillae in culina dominae parent. Domina dicit, quos cibos ancillae coquere debeant.

11.11

Feminae etiam nutrices, ministrae, mimae erant. Sed divites matronae semper domi sunt, non laborant.

11.24

Colorator mercatorem iam diu cognovit. Tamen saepe de pecunia disputant. Sed postremo contenti sunt.

11.38

Prima nocte homines domum eunt et dormiunt.

11.44

Homines pauperes in tabernis conveniunt: Servi et nautae et fabri.

11.52

Hic ludunt et bibunt et gaudent.

12.01

In nonnullis tabernis homines tantum bibunt.

12.07

In aliis tabernis homines etiam cenare possunt. Eae popinae nominantur.

12.16

Colorator saepe hic est. Hic sunt etiam amici et collegae.

12.21

Multi veniunt et cenant. Nam domi culinam non habent.

12.30

Iam nox est. Caupo nunc aquam in vinum dat. Multi id non iam animadvertunt.

12.44

Saepe etiam meretrices in tabernis sunt.

12.52

Caupo gaudet, quod meretrices hic laborant. Ita enim plus pecuniae ab hominibus accipit.

13.02

Meretrices carae non sunt: Meretrix tam cara est quam vinum.

13.17

Colorator nondum dormit. Mox it per urbem obscuram usque ad Rhenum.

**Hos textus Latinos a studentibus Gottingensibus  
Petro Kuhlmann professore philologiae classicae moderante  
cinemati EXPERIMENTI ROMANI impositos  
ex interreti excerpsit et adnotatiunculis instruxit  
Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**

## De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfridi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotz raptationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmosero. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotz malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniatur fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvere...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet expectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitorem” Bernhardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretialem:


**[www.leolatinus.com](http://www.leolatinus.com)**



Otfried Preußler, *Der Räuber Hotzenplotz*  
© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)  
Stuttgart/Wien, [www.thienemann.de](http://www.thienemann.de)

Editio Latina:  
Copyright © 2013 by LEO LATINUS  
[spqr@leolatinus.com](mailto:spqr@leolatinus.com)  
ISBN 978-3-938905-33-3

**Hic libellus constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM) Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !**



MINISTRATIO INTERRETIALIS //www.leolatinus.com

ANNI MMIV MENSE NOVEMBRI VENAXOMODURI EDIDIT

**DE SANCTO NICOLAO  
DEQUE VIRO NATALICIO**

RELATIO LATINA, QUAM SCRIPSIT  
**NICOLAUS GROSS**

**SAINT NICHOLAS  
AND SANTA CLAUS**

A LATIN ESSAY WRITTEN BY  
**NIKOLAUS GROSS**

**DER HEILIGE NIKOLAUS  
UND DER WEIHNACHTSMANN**

EIN LATEINISCHER AUFSATZ VON  
**NIKOLAUS GROSS**

**ISBN 978-3-938905-10-4**  
**num.mandatela: 01104**  
**pretium € 12,00**  
**CD 22 paginae, datotheca pdf**

**Scribas, quaeso, ad hanc inscriptionem interretialem:  
SPQR@LEOLATINUS.COM**



**Imago 7. Festum Sancti Nicolai („Het Sinterklaas-Feest“).** Pictura Iohannis (Jan) van Steen (a.1665/68), Amstelodami, in Museo Regni, id est „Rijksmuseum“.

Cum plerique parvuli bene donati sint, puer, qui stat a sinistris, in calceo suo nihil invênit nisi nonnullas ferulas aridas. Nec deest irrisio: fraterculus malevolê digito indicat calceum fratri maiori contumeliosum. Soror maior natu calceum fratri spe decepto offert male salsa ridens. Avia autem de pueri poenâ irrisorie gaudens eundem digito sublato morum malorum monens in recessum abit. At mater cum convulsivê studeat, ne respiciat filium improbum, nimiâ cum indulgentiâ se dedit filiolae omnium dilectissimae donis abundantanti. Puer miserrimus, qui a totâ familiâ suâ evidenter irrideatur atque contemnatur, quid faciat nisi flet vehementer lacrimasque suas manu detergeat?



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
SEXAGESIMAM SEPTIMAM**

**EL 67**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT**

**d. Dominico, 22.m.Dec. a.2013**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**